

his  
c 7388



**ULB Düsseldorf**



+0966 093 01



Universitäts- und  
Landesbibliothek Düsseldorf

971 SLS 137





*2. Februar 1756.*

PROGRAMMA  
DE  
VETERUM MORE MEN  
SIS ACCUMBENDI.

QUO IPSO  
PLURIMUM VENERANDA & SPECTA  
TISSIMA CONCILII ECCLESIASTICI  
MEMBRA  
CETEROSQUE OMNES  
ARTIUM LIBERALIUM FAUTORES  
ATQUE AMICOS CUJUSCUNQUE  
ORDINIS AC DIGNITATIS  
AD ACTUM ORATORIC  
PROMOTORIUM  
IN TEMPLO REFORMATORUM  
INTER CONCENTUS MUSICOS  
SOLLEMNITER CELEBRANDUM  
QUAM OBSERVANTISSIME  
INVITAT  
JOANNES HENRICUS ANDREÆ,  
S. M. C. & GYMN. DUSSELDORP. RECTOR.

---

Ad Diem XII. Aprilis CCCLVI. Hora 1. pomeridiana.

---

D U S S E L D O R P I I  
EX OFFICINA STAHLIANA.



00

his

c 7388

8022680





**N**ihil equidem facilius esse, quam materiam, ex Antiquitatibus de promtam, variis variorum Commentatorum scriptis in consilium adhibitis, illustrare atque explicare, explicatam at tem publici facere juris, nemo, cui e meliori luto Titan formavit præcordia, ibit inficias. Hinc non raro accedit, ut istius furfuris methodi reliquis longissime præferatur; sed simul, experientia teste, evenit, taut ratione crambe, milies jam recocta, recoquatur. Verum enim verum ex ipsis haurire fontibus, vel ut planius scribam, in intima Musarum penetralia penetrare, passim in desuetudinem abiit. Id quod, mea quider opinione, non ultima caussa est, cur litteræ Philologicæ, licet natura si consideratae omni omnino laude sint dignissimæ, ceterisque scientiis via sternant tutissimam, plerumque limis adspicantur ocellis. Optandum igitur esset, ut felicior studiis humanioribus adfulgeret cynosura, utqu singuli, provinciam litterariam administrantes, certissimam ac dulcissimam

iam in iis excolendis viam ingredentur. Quam dulcis autem, & quam  
tilis ex ipsis fontibus bibendi ratio sit, unico tantum exemplo illustrabo,  
*eterum morem mensis accumbendi brevissimo sermonis filo delineaturus.*

Antiquissimis videlicet temporibus, dum frugalitas vigebat ac mo-  
estia, ad fidere mensis solebant Romani, prouti refert VIRGILIUS  
En. VIII. vs. 176. ubi SERVIUS inquit: *Majores nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt a Laconibus & Cretensibus: ut Varro docet in libris  
& gente Populi Romani: &c.* Cetera, ad hanc antiquitatis partem illustran-  
am pertinentia, enucleatius tractant antiquarii, inque iis DEMPSTE-  
US ad Rosin. in System. Antiq. & STUCKIUS, qui peculiarem hac de  
e libellum confecit: quibus addi meretur Cl. J. F. GRONOVIUS, in  
lectionibus Plautiniis, A. 1740. Amstelodami in 8. majoris formæ editis,  
. 306.-311.

Hancce mensis ad fidendi consuetudinem a Græcis sine ullo dubio re-  
petivisse Romanos, ecquis ignorat? Inde apud Hom. Il. j. convivæ dicun-  
tur καθημένοι. Apud Hebræos eadem obtinuit comedendi ratio, cuius ve-  
tigia occurrunt Gen. XXXVII. 25. Jud. XIX. 6. 1. Sam. XX. 5. 1. Reg.  
XIII. 20. al. 21.; ubi verbum בָשָׂר, quod non solum significatu *sedendi*,  
erum *subsistendi* etiam gaudet, invenitur. a)

Interjecto autem haud exiguo temporis intervallo, lectos adhibere  
nensisque accumbere & viri & mulieres non dubitarunt. Vid. VIRG.  
En. I. 702. sqq. III. 222. sqq. V. 387. sq. VI. 606. sqq. & præter alia lo-  
ra Æn. VIII. 175. sqq. Hinc clara eidem vati lux adfunditur, Æn. I. 7.  
33. canenti:

- *Tu das epulis accumbere Divum,*  
1.e. inquit SERVIUS, *qui me Deum facis, &c.* Ex quibus aliisque locis  
evidenter est, lectos, quibus in accumbendo usi sunt, proprie nun-  
cupatos fuisse toros. Conf. SVET. in Aug. cap. LXXIII. *Ne TORO  
uidem cubuisse ajunt, nisi humili & modice strato;* ubi egregia notat IS. CA-  
SAVEONUS. b)

*Torus*

a) Conf. III. GROTIUS ad Matth. XXVI. 20.

b) Apud eundem SUET. in Domit. cap. XI. est *ad fidere in toro.*

c)

*Torus*, (quod nomen nonnulli a *torquendo*, vel, uti Isidorus, a *tortis herbis*, quidam a *torvo*, alii rursus aliter deducunt,) primum ex stramento, dein de autem, animis hominum in luxum effusis, ex præstantioribus materiis, variis coloribus subtilique artificio conficiebatur. Vid. VIRG. Æn. I. vs. 711. & MART. Lib. II. Epigr. XIV. in Zoilum vs. 3. p. m. 198. c) Lat. *toru*. Græcis dictus fuit *σιβάς*, *σιβάδιον*, *συληρὸν λέκτρον*. &c. Ceteros ut hujus vocis significatus silentio præterea, *torus* etiam generatim de *lecto*, variis usibus destinato, usurpatur. V. VIRG. Æn. IV. 508. 650. & 659. cui sub jungatur BOETHIUS. i. Pros. I. p. m. 9. *Quæ*, inquit, *ubi poëticas Musas vidit, nostro adfistentes toro.* d)

Jam longe ante Romanos accumbere mensis inceperunt Græci. Locus autem, ubi convivari solebant, saepe nominabatur *ὑπερῷον*, *superius cœnaculum*, licet idem locus plerumque a multitudine lectorum, in ipso cœnaculo stratorum, nomine δικλίνιον, vel δικλίνιον aliquando τρικλίνιον, interdum πεντακλίνιον insigniretur. Conf. Poll. L. I. cap. VIII. Ita apud Athen. L. v. E. 205. c. occurrit ὅπος τρικλίνος, *cœnaculum trium lectorum capax*.

Hic ad animum vertamus, modo dictam nominis ὅπος notionem raffissime apud profanos inveniri scriptores, obviam tamen esse in N. F. v. A. Et. II. 2.; ubi ὅπος procul omni dubio reddendum est *conclave*, quoniam a S. Luca adjicitur: ἐντὸν καθήμενοι, ubi adsidebant; & quidem per ὅπος hoc in loco intelligi arbitror *conclave illud superius*. quod A. Et. I. 13. adpellabatur *ὑπερῷον*. Jam vero, cum apud Græcos scriptores subinde ὅπημα, sed rarius ὅπος, de *conclavi* adhibetur, inde factum, hæc ut potestas a Lex cographis fuerit neglecta. Præterea nomen ὅπος, isto usu de *cœnaculum* positum, inter alia legimus apud Athen. L. IV. p. 130. a. Αὐτεθανύσοι τεῖχον, *cœnaculum aperiunt*. Hac de re consulatur velim JS. CASAUB. L. IV. Animadv. ad Athen. cap. II. & in Comm. ad Theoph. p. 256. e)

- c) Ubi Doct. RAIDERUS de *toro* & *torali* latius scribit uberioriusque.
- d) Paulo aliter hæc verba ordinat nondum editus membranæ: codex Ms. Bib. Haverkamp. in folio, in cuius fronte legitur: *Istud opus est Birgorii de Janu MDCCLXXXV.*
- e) Plus semel *cœnacula* non solum a Plinio, sed & in primis a Vitruvio, Græca voc Latino quidem flexu, dicuntur *œci*; quemadmodum L. VI. Architect. cap. 1. ubi memorat *œcos quadratos tam ampla magnitudine*, ut faciliori modo in iis tricliniis quatuor stratis, locus possit esse spatiolus; in his, inquit, *œcis suis virilia conclavia*.

Eundem mensis accumbendi morem ab aliis gentibus ad Judæos quoque demanasse, non defunt, qui putent, quia in antiquioribus scriptis de sessione ad mensam legatur. Verum autem satis tuto id concludi, non utumem; verbum enim בָשֵׁר generalius est, & de ipsis lectis usurpatur Ezech. XXIII. 41. Illud interim lubentissimo largiri animo possumus, non emper ad mensam accubuisse Judæos, sed aliquando sedisse, prout rei ratio temporisque circumstantiae fortassis postulabant. Quæ licet ita se habeant, inter omnes tamen constat, Judæos, saltim tempore Christi & Apostolorum, ad mensam accubuisse. Matth. IX. 10. Luc. VII. 36. & alibi. Quapropter Rabbini in scriptis suis loquuntur de ταῖς, lectulis, quorum hic Iesus erat. Tales autem lectuli ad mensas dispositi non secundum latitudinem, sed longitudinem suam, fuere, ita ut in uno lectulo plures, altero ad renua vel in sinu alterius accumbente, discumbere quiverint. Conf. Cel. BUXTORF. in Diss. Philologico-Theol. VI. §. 32. sqq. Verum autem tunc temporis apud Judæos primum in accumbendo locum plerumque tenuit convivii princeps, cuius in sinu is, qui dilectissimus illi habebatur, recumbe rere suevit. Sic S. Joannes in sinu Christi recubuisse dicitur Joan. XIII. 23. f) Egregium denique de Lazaro exstat exemplum Luc. XVI. 22. 23. ubi is, ib Angelis in finum Abramini delatus, in eo recumbere memoratur. Hic autem regnum cælorum pulcherrime cum convivio confertur, ubi Abramamus, tanquam princeps, primum occupat locum, ceterique una cum psō accumbunt convivæ cælestes. Adeoque ibidem denotatur, quanto ionore quantoque gaudio accumuletur, & quam arcte Abrahamo adfissifet adhæreatque Lazarus. Ad hunc S. Lucæ locum, ni fallor, repexit laudatus apud Cel. Wolfium in Anecd. Gr. Tom. II. p. 15. Photius Lib. II. contra Manichæos Num. IV. inquiens: Οὐδὲ τὸ χάσμα δὲ τὸ μεταξύ τῶν πλευρῶν τὸ Λαζάρον πεφύκαστον. ὁ ατειχίζει μὲν τὰς μετὰ τὸ Αἴθρακμ ἐνθανομένας, απὸ τῶν ἐν ταῖς βασάνοις κολαζομένων.

Sed cum χρήματα πολυτελέστατα sit, non ero Lectoribus meis Horatissimis longiori hujus materiae explicatione tædiosior. Sufficiant haec in programmate; quamvis longe plura, ad præsentem materiam pertinentia, ex ipsis antiquitatum fontibus hausta, a plurimis, quantum quidem

f) Vid. cl. BRÜNINGS in Comp. Antiq. Gr. Cap. XXII. §. 7.- 12. p. m. 299.- 302. ubi plura S. S. Loca adpositæ illustrantur.

dem scio, Antiquariis in scenam haud produeta, certe non ubivis obvia his subne<sup>c</sup>tere possem. Vestrum igitur est, *Præstantissimi Juvenes*, qui alta mente præditi, ad altiora adspiratis, quique Musis vitam vestrar consecravistis jucundissimis, vestrum, inquam, est, ita in suavissimo Pieridum stadio currere, ut feliciter palmam auferatis vi<sup>c</sup>tricem; aliter namque currentes Mysorum habentur ultimi. Vestrum denique est, ita in genuis vacare artibus, ita scientias, longa famæ secula custodientes, ex colere, ut ex iis, rupta veluti filqua, intimiores medullas eliciatis.

Quandoquidem autem, fœlestri iterum ad finem perdueto, dilectissimi nostri Discipuli laudabilia eloquentiae studiorumque suorum specimina edituri sunt, aperta erit nostra dicendi palæstra; cumque ad animos juveniles incitandos & erigendos plurimum valeat, atque amica ultracurrentibus calcaria addat magna & ingenua Auditorum frequentia; hinc *Dignissima Concilii Ecclesiastici Membra*, inque iis plurimum *Ven. Oraculorum Divinorum Interpretes*, omnesque alias *Litterarum Humaniorum Fautores*, in primis autem *Spelunatis Parentes*, utpote quorum filii nostræ curæ nostræ que disciplinæ commissi sunt ac commendati, ea, qua par est, animi observantia rogamus atque obtestamur, ut perendie, circa horam pomeridianam primam, spectabili sua præsentia nostrum exornare actum, suisque attentionis & favoris velut etefiis, etiam ubi autumnus mare asperat, vela dicturorum implere & secundare ne dedignantur. Sic ancoras tollent læti, sic oram solvent lætiores, sic rursum ad litus adpellent lætissimi.



SE.

# S E R I E S DICENTIUM & DICENDORUM.

Perorandi palæstram aperiet Lycei Rector, orationem de Celeberrimo Litteratore, FRANCISCO FABRICIO *Marcodurano*, secundo Gymnasii nostri moderatore, A.D.VIII. Calend. April. A. 1573. defuncto, habiturus. Deinde suas in dicendo vires experientur sequentes optimæ spei Juvenes: CHRIST. ERN. MATTHIAS BÜTTINGHAUSEN, Juliensis, carmen Elegiacum Latinum, studio magnam partem suo elaboratum, de *Cybele ejusque apud Romanos cultu* recitatibus.

JOAN. THEODORUS ZANDERS, Dusselopolitanus, *Oraculum Dodonacum* exponet oratione Græca, pariter suo Marte magnam partem composita.

M. KALMON COHEN, Dusseldorpiensis, orationem prosaicam, & quidem sermone Romano exarata, habiturus est de *Vestitu Patriarcharum*.

ADOLPH. WILH. WISSELINCK, Dusselanus, *Hominem voluptatibus obrutum vivis coloribus depinget carmine Teutonico.*

JOAN. LUDOVICUS BERG, Teutoburgensis, quæstionem: *Utrum virtus doceri queat?* solvet sermone Latino.

Auditis artis oratoriæ speciminibus, per modum Dialogi metrici, & quidem lingua vernacula conscripti, de *Mundo larvato*, verba inter se mutua miscebunt sequentes bona nota adolescentes:

JOAN. DAN. JACOBUS TRIESCH, Dusselopolitanus.

LUDOLPHUS SCHOELLER, Eschweilera - Juliacus.

JOAN. HERMANNUS ZANDERS,

MATTHÆUS TIMMERMANN,

JOAN. GEORGIUS JUNG,

THEOD. ADRIAN. RITTMEIER,

JOAN. OTTO COCHIUS,

HENR. JACOBUS SCOMBART,

JOAN. GOTTHARD. BACKHAUSEN,

THEOD. EGIDIUS CREUDER,

JOAN. THEOD. RIMAGEN,

JOAN. WILH. BACKHAUSEN,

JOAN. GABRIEL MAURENBRECHER,

& tandem

WILH. HENRICUS TRIESCH,

Denique, promotione ab inferioribus ad superiores classes peracta, & gratiarum actionibus ab iis, qui ad publicas transibunt lectiones, habitis; carmine Latino, temporis circumstantiis accommodato, *Æstumatisimis Auditoribus* gratias persolveret dignissimas, atque ita Actui huic finem imponet Rector.

Dusseldorpienses.





Universitäts- und  
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und  
Landesbibliothek Düsseldorf